

1341-1341- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Avenionem Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
Hec sunt acta capituli generalis celebrati apud Avenionem
anno Domini · M° · CCC° · XLI° ·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ex devota sequela completorii sequatur magna recollectio animarum ac reddantur fratres magis dispositi ad ea, que dei sunt, devocionis et studii toto tempore noctis et diei, mandamus ac districte imponimus prioribus universis ac vicariis eorumdem, quod fratres sibi subditos compellant cum omni diligencia completorio diebus singulis interesse, nullique dent licenciam a completorio remanendi nisi ex causa necessaria et urgente.

Item. Cum ex eo quod aliqui extra conventus dormitorium cameras habeant et loca specialia ad iacendum, multa religionis deordinacio subsequatur, inhibemus prioribus provincialibus ac conventualibus ac vicariis eorumdem, ne cuicumque fratri concedant ad iacendum cameram specialem extra clausuram dormitorii nisi causa infirmitatis aut debilitatis notabilis vel fratribus emerite senectutis et illis, quibus racione gradus vel officii fuit actenus concessum communiter per ordinem, quod provideretur de loco vel camera speciali.

Item. Cum secundum nostri ordinis instituta fratres nostri in locis, in quibus conventum habemus comedere non debeant extra claustrum nisi cum certis personis et domibus ibidem expressis, mandamus presidentibus universis, ut dictam constitutionem observent et faciant ab omnibus observari, inhibentes eisdem, ne quemquam licencient ad comedendum extra conventum, nisi cum personis et in locis, qui in constitutionibus exprimuntur vel nisi esset persona tam spectabilis, quod negacio licencie esset multum scandalosa contra ordinem vel dampnosa; super quo presidens, antequam concedat licenciam, plurium fratrum sui conventus discretorum consilium requirat, et quod eis videbitur de concedendo vel negando, facere teneatur.

Item. Cum in conventibus omnia debeant fieri ordinate, volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu ordinis prior de discretorum fratrum consilio procuratorem instituat, ad cuius officium pertineat omnes obventiones recipere et secundum prioris ordinacionem et iudicium dispensare. Prior autem per se nichil recipiat nisi necessitate cogente, et tam ipse quam fratres alii quicumque aliquid receperint, quamcito commode poterunt, dicto procuratori tradere integraliter teneantur ad usum communitatis et fratrum secundum presidentis arbitrium dispensandum. Dicitur autem procurator de omnibus receptis et dispensatis semel in quolibet mense coram priore et antiquis de conventu compellatur plenam et integram reddere racionem.

Item. Cum illi, quibus incumbit ex officio, quod sint excessuum correctores, debeant esse pre ceteris religione ferventes et honestate ac discrecione pollentes, mandamus et imponimus prioribus provincialibus ac diffinitoribus capitulum provincialium, quod ipsi tales visitatores in suis provinciis deputent et assignent, qui sint inter alios magis probi, virtuosus, maturi et discreti, deum habentes pre oculis et sui ordinis zelatores; et deputentur eis conventus in tali numero, quod possint plenarie et diligenter ac sine notabili gravamine visitare.

Item. Quia fratres, quorum officium est evangelizare pacem, nimis est indecens ac sue religioni repugnans aliquid in dictis vel factis ostendere, per quod pax et concordia valeat perturbari, et ob hoc constitutiones nostre iudicant percussores pena graviori culpe debita puniendos, mandamus et districte imponimus prioribus universis et eorum vicariis, quatinus dictam constitutionem contra percussores editam faciant efficaciter et inviolabiliter observari.

Item. Caveant supprioris, quod in assignacione diei ad tractandum de hiis, que ad generale vel provinciale capitulum sunt mittenda, et in omnibus ad tractatum ipsum pertinentibus sic iuste, racionabiliter et prudenter procedant iuxta ordinis instituta, quod nulla possit eis calumpnia imputari. Quod si priores provinciales in suis provinciis invenerint supprioris aliquos in hiis, que ad tractatum pertinent, notabiliter deliquisse vel fratres aliquos quoscumque in pertinentibus ad tractatum tumultuose vel alias comminatorie processisse, supprioris ipsos a suis absolvant officiis, et tam supprioris quam fratres alios in huiusmodi delinquentes in actis capitulum suorum provincialium taliter puniant, quod sint ceteris in exemplum et de cetero similia non attentent. Inhibemus eciam, quantum possumus, prioribus universis, ne de tractatu se quomodolibet intromittant nec supprioris imminente tractatu absolvant, quod si contrarium fecerint, in penam a prioratus officio absolvant.

Item. Cum multiplicacio preceptorum interdum pericula pariat animarum, iubemus prioribus provincialibus ac conventualibus ac vicariis eorum, quod precepta non faciant nec multiplicent nisi ex causa multum racionabili examinata et digesta de consilio discretorum.

Item. Volentes vitare notam et scandala, que apud graves personas non immerito oriuntur ex inordinacione nostri habitus in quantitate et qualitate, imponimus, quod priores provinciales in suis provinciis et conventuales in suis conventibus cum omni diligencia studeant reducere fratres, per preceptum eciam si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod nostram paupertatem valeat deformare; quinimo fratres omnes compellant portare habitum, in brevitate capparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum, conformem nostri ordinis institutis; et taliter exequatur, quod sequens capitulum generale certificari valeat, quod hec omnia per totum ordinem sint correcta.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, omni districcione, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus ac diffinitoribus capitulum provincialium, quod in assignando lectores et sublectores semper preponant illos, quos pensatis moribus et sciencia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de

quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficienciores convenienter habere valuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Lectores vero et sublectores a prioribus provincialibus compellantur per penas graves, et si oporteat per preceptum, legendo, studendo et disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scholasticis continuare. Quicumque vero lectores principales et sublectores lectiones suas non continuaverint, nisi causam legitimam habuerint, volumus, quod nulla gracia fungantur titulo lectoratus vel sublectoratus, nec lectores re vel nomine reputentur; et nichilominus in penam a suis officiis absolvantur. Provideant etiam priores provinciales et capitula provincialia de modo compellendi efficaciter studentes et fratres alios sequi scholas; et singuli diffinitores provinciarum referre teneantur ad sequens generale capitulum, qualiter singula puncta huius ordinationis in suis provinciis fuerint observata.

Item. Mandamus et omni districtione, qua possumus, iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus Grecie, Terre Sancte ac vicariis eorundem necnon et vicario generali societatis fratrum peregrinancium propter Christum, quod si quos fratres invenerint in suis provinciis, terminis aut regionibus inutiliter vagantes, qui de assignacionibus suis non possint facere plenam fidem, statim eos ad conventum venire compellant, et eos ibidem arctatos teneant, quousque de eorum assignacione et de causis sui discursus per magistrum ordinis vel eius vicarium vel per provinciales suos, possint fieri cerciores. Quod si arctacionem noluerint humiliter sustinere a prioribus eorum conventuum, ad quos reducti fuerint obedire, continuo carceri mancipentur. Fratres vero socii episcoporum in dictis regionibus deputati pretextu cuiuscumque graciae vel licencie concessae dictis episcopis vel fratribus a quocumque superiore ordinis, nullo modo permittantur nec soli incedere nec abeuntibus episcopis soli manere. Quod si contrarium fecisse fuerint deprehensi, per presidentes dictarum regionum ad conventus redire cogantur ibique secundum qualitates personarum et excessuum debite puniantur, nulla gracia in oppositum suffragante. Omnem enim gratiam seu licenciam cuicumque concessam, que premissis obviare possit, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, subiciens eos correctioni eorum priorum provincialium et conventualium, in quorum terris extiterint simpliciter et ex toto.

Item. Cum ex eo, quod magistri ac bachelari Parisienses quandoque expensas faciant in suis principiis notabiliter excessivas, graventur ipsimet facientes et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod supradicti magistri ac bachelari nullas pitancias faciant die aule sue nec in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones. Et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque studeant impedire; inhibentes insuper, ne studentes quicumque titulo alicuius actus scolastici permittantur expensas facere quascumque.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provinciam Boemie et priores conventuales Montispessulanum, Narbonensem, Massiliensem, Draguinianensem, Aniciensem, Avinionensem, Niciensem, Cistaricensem et Bituricensem. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus assumantur.

Absolvimus omnes vicarios insule Sicilie, per quemcumque fuerint instituti.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro et domino domino summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · iii · missas; et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu sit hebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Beltrando Hostiensi et Velletrensi episcopo cardinali quilibet sacerdos · i · missam¹.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Guauselino cardinali episcopo Albanensi summo penitenciaro quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Hispano Sabinensi episcopo cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro Palestrinensi episcopo cardinali sancte Romane ecclesie vicecancellario quil. sac. · i · mis.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Convenarum Portuensi episcopo cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Annibaldo Tusculano episcopo cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petragoricensi presbitero cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro Eduensi presbitero cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Raymundo de Fargis dyacono cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Rotomagensi presbitero cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino de Monte Favencio dyacono cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Ebredunensi presbitero cardinali quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus domino de Puteo, domino Gocio, domino Rutinensi et domino de Monte Alvo quilibet sacerdos · i · missam.

¹ De dd. cardinalibus cf. supra pag. 264 l. 5 sqq.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus Iacobo Gaietano, et domino Napoleone, domino Gagliardo de Mota, et domino Iohanne de Columpna quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro patriarcha Ierosolymitano² et pro passagio Terre sancte quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino Avinionensi episcopo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis archiepiscopis Compostellano, Aquensi, et dominis episcopis Cracoviensi, Albiensi, Mirapiscensi³ et Paviensi, Carcassonensi, Uticensi, Nicchosiensi, Senecensi, Aptensi, Sisticensi, Dinensi, Autogicensi⁴, Tricestrinensi quilibet sacerdos · i · mis.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Bononiensi, Brissieni et Cumano quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis patriarchis Constantinopolitano, Aquilensi⁵ et dominis archiepiscopis Panormitano, Lugdunensi, Senonensi, Rotomagensi, Remensi, Pisano⁶ et dominis episcopis Novariensi, Careliensi⁷, Parisiensi, Belvacensi, Carpetacensi⁸, Aquilano⁸ et Vasinensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina abbatissa et sororibus Montis sancte Katerine Avinionensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro sorore Dossolina Iubeta dicti Montis quilibet sacerdos · i · mis.

Item. Pro serenissimo principe ac domino domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua ac bono statu regni sui et liberis eorum quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua et liberis eorum ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino Roberto rege Sicilie et consorte sua ac bono statu regni sui et terrarum suarum quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domino rege Castelle et domina regina consorte sua ac liberis eorum et bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Aragonie et domina regina consorte sua et liberis eorum ac bono statu regni sui et terrarum suarum quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino rege Cipri et domina regina consorte sua, prole et bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis regibus, Ungarie, Dacie, Svecie, Norvegie et consortibus ac liberis eorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Iohanne duce Normannie, primogenito regis Francie et domina ducissa consorte sua ac liberis eorum ac domino Philippo fratre suo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna regina Francie et Navarre, relicta quondam domini Karuli regis Francie et Navarre et recommendatis per eam quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Polonie, Portugallie, reginis ac liberis eorum et pro bono statu regnorum suorum, dominis ducibus Borbonie, Burgundie, dominis comitibus Alençonie, Sabaudie, Barensi, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino dalfino Viennensi, domina dalfina consorte sua ac bono statu terrarum suarum quilibet sacerdos · i · mis.

Item. Pro domino vicecomite Talardo et domina Constancia consorte sua et liberis eorum, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustri domina Beatrice de Vienna, domina de Alletto, matre domini Iohannis de Calulone, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna de Britannia, domina de Casleto, et domina Iesanda, filia eius, comitissa Barensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Paulo de Saulis, uxore, liberis eius ac recommendatis per eam quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro civibus et bono statu civitatis Avenionensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro mercatoribus Florentinis et Lucanis quilibet sacerdos · i · mis.

Item. Pro dominis auditore camere domini pape, domino Nicholao electo, domino Iohanne Amelii archidiacono Foroiulensi, Guiglielmo Desiderato registratore domini pape, maliscallo domini pape, magistro Bernardo Brum, domino Guillelmo de Campis, domino Bernardo de Sabrano, et domino de Saltu et Sancia Cistede, domino Bernardo Ribaldi, domina Dengorda Mabillia de Castilione et domicella et Iohanna de Fossatis quilibet sacerdos · i · missam.

² De fr. Petro de Palude cf. supra pag. 255 l. 22.

³ Petro de Lapeiraweda; cf. supra pag. 198 l. 22

⁴ “Autogicensi” legendum esse puto “Augustensi (Aosta)”.

⁵ Loco “Aquilensi” legas “Aquilegesi”.

⁶ Fr. Simone Saltarelli O. Praed.; cf. supra pag. 264 l. 29.

⁷ “Careliensi” forsitan error librarii pro “Calinensi (Carinola)”. ⁸ “Carpetacensi” legendum esse arbitror “Caprita nensi” vel “Carpentoratensi”.

⁸ Angelo de Azaiolis O. Praed.; cf. EUBEL l.c. pag.99.

Item. Pro domino Alberto Marsiliensi et procuratore cruciferorum ... domina Maria uxore quondam vicecomitis Narbonensis et domina Attaviana Florentina quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili domina Alexancia abbatissa monasterii Desberdivicensis et domina bona cara, uxore condam domini Andraci ac liberis eius et domino Dementestino quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili fratre ... de sancto Michaelae, lectore sacri palatii, et recommendatis per eum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis et recommendatis per eum, et specialiter pro domino Rogerio de Valterim quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro bono statu montis Pluriani et Povacci⁹, sororibus Maria de Claramonte, Ysabella de Valesio, Ysabella de Atrabato, Maria de Britania et Eufemia, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus et pro omnibus, qui benefecerunt capitulo, pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis regibus Francie Philippo et Ludovico, Phylippo et Carulo filiis eius, domino Karulo, comite Valesii et domina Clemencia regina Francie et Navarre, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Guillelmo Petri, Sabinensi episcopo cardinali¹⁰, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo episcopo Sabinensi cardinali¹¹ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Nichosiensi ei domino Iohanne de Rupe, senescallo Catahasonensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Alfonso comite Pictaviensi, Ludovico comite Ebroicensi, domina Macelda comitissa Atrabatensi, domina Iohanna de Reusemusel priorissa montis Argi, et aliis, pro quibus eleemosyne misse sunt ad capitulum, et pro avio filii Guglielmi Arcensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Petro Raymundi comite Convenarum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro Raymundo Sofredi et Saura filia eius et recommendatis per dominam Sanciam Sifrede, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro Bernardo de Fargis archiepiscopo Narbonensi quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domina Maria de Valsaman, matre reverendi patris magistri ordinis, et Ubertino de Strozis et Rossello filio eius quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus defunctis, et pro hiis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Facimus vicarium generalem in provincia Ungarie fratrem Iohannem Iauriensem, priorem Pestensem, donec in eadem provincia Ungarie prior provincialis electus fuerit et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Boemie fratrem Hermannum, lectorem Pragensem, donec in eadem provincia Boemie, prior provincialis electus fuerit et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in insula Sicilie fratrem Petrum de Figarola, priorem Ilerdensem de provincia Aragonie, ipsum a prioratus officio absolventes. Et precipit ei magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod quam cito commode poterit, ad dictam insulam accedat dicti vicariatus officium impleturus secundum gratiam a domino sibi datam; et concedimus eidem, quod possit secum assumere duos fratres bonos et honestos de provincia Aragonie, voluntarios illuc ire et eosdem dicte insule assignare et conventui vel conventibus, de quibus sibi videbitur, deputare; et volumus, quod fratres Martinus de Panormio et Antonius de Messana simul et coniunctim regant auctoritate magistri ordinis predictam insulam, mandantes eisdem, quod dicti vicariatus officium secundum deum et iusticiam diligenter exerceant, donec predictus frater Petrus ad dictam insulam venerit et presens fuerit in eadem. Quo presente auctoritatem eorum denunciamus expirasse.

Denunciamus, fratrem Iacobum de Nichosia non esse priorem conventus Panormitani, provincie regni Sicilie.

Item. Absolvimus fratrem Bartholomeum Pennensem ab officio prioratus conventus eiusdem et facimus dictum fratrem Bartholomeum vicarium conventus Panormitani predicti, quousque dictus conventus priorem electum et confirmatum habeat et presentem in eodem.

Item. Imponimus fratri Petro de Figarola vicario suprascripto, quod exacte et acriter puniat fratres omnes conventus Panormitani, qui propria temeritate fratrem Bartholomeum predictum ab executione sui officii excluserunt et fratrem Iacobum de Nichosia ad ipsum prioratus officium intromiserunt, omni iuris ordine

⁹ “montis Pluriani et Povacci” legendum esse arbitror a “monasterii Pruliani et Pissiaci”; cf. supra pag. 185 l. 8 et pag. 199 l. 23.

¹⁰ De fr. Guillelmo Petri Godin cf. supra pag. 67 not.3.

¹¹ De fr. Mattheo de Ursinis cf. supra pag. 182 not. 2, obiit 18 Aug. 1340; EUBEL l.c. pag. 15.

pretermisso. Volumus eciam, quod idem vicarius illos gravius puniat, quos in hac materia magis reperit excessisse.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Geraldum de Domaro de provincia Tholosana¹².

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti, ad legendum sentencias Parisius fratrem Simonem Lingonensem de provincia Francie¹³.

Item. Assignamus lectorem in conventu Barchinonensi fratrem Bartholomeum Ferrari de provincia Aragonie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Iacobum de Ancona de provincia Lombardie inferioris.

Item. Assignamus lectorem in conventu Montispessulani fratrem Iohannem Mercatoris de provincia Provincie¹⁴.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Carcassonensi provincie Tholosane; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam · vi · festum pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti et pro anno preterito tres alios; qui non solverint sub eodem tenore precepti infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur.

Expliciunt acta capituli generalis apud Avinionem celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis cf. app. n. LXXXVII.

¹² De fr. Gerardo cf. supra pag. 268 l. 7.

¹³ De fr. Simone Lingonensi cf. DENIFLE l.c. pag.519; SSOP. I. pag. 636 MOPH. VII. pag. 25 l. 13 sqq.

¹⁴ De fr. Ioanne cf. supra pag. 235 l. 15.